

~~Ex~~ Pax Christi.

Admodum R/de Pater, Transierunt aliquot menses, ex quo scripsi literas ad R/dum P. fratrem Simonem Rikium ord. Minorum de observantia, qui istic Moguntiae docebat theologiam, et misi ad illum bullam S/ti Officii, in quo concedebatur illi facultas legendi libros haereticorum. Et quoniam timebam, ne meas literas cum adjuncta bulla non acciperet, scripsi ad R.V. ut significaret praedicto f. Simoni Rikio, me misisse ad illum litteras, et bullam inclusam in fasciculo literarum, quae hinc mittebantur ad Ill/mum et R/mum D. Archiepiscopum Moguntinum, ab Agente ipsius R/mi et Ill/mi Principis. Sed nullum accepi responsum neque ab ipso R/do Patre f. Simone Rikio, neque a R.V. Rogo igitur iterum, ut R.V. non gravetur mihi suis literis significare, an praedictus P.f. Simon acceperit Bullam S/ti Officii, quam non semel, sed bis ad eum transmisi. Item rogo, ut aliquid ad me scribat de progressu sui operis contra Pareum. Denique rogo ut R.V. significet P.f. Simoni Rikio, conciones meas illius opera Coloniae excusas, et mihi dicatas, tot et tam crassis erroribus typographorum abundare, ut me valde pudeat ejus editionis, quamvis alioqui hic Romae cupidissime emantur, et legantur. Valeat R.V. mei memor in sanctis precibus suis. Romae, die 5. Aprilis 1615.

R.V.

frater et servus in Christo

Robertus Card/lis Bellarminus.

P. Adamus Contzen. Moguntiam

25 (adresse):

Admodum R/do P'ri P'ri Adamo Contzen Societatis Jesu. (cachet)
Monguntiam.